










ANTONII VAN GOUDOEVER

# SERMO,

AD DISCIPULOS HABITUS,

DIE XVIII. M. SEPTEMBRIS

ANNO MDCCCXXXIX.

ANTONII VAN GOUDOEVER

# SERMO,

AD DISCIPULOS HABITUS.

DIE XVIII. M. SEPTEMBRIS

ANNO MDCCCXXXIX.



m
m,
a, in
mecum
rum unum
m, in gravem
micorum, disci-
quae tota Literis et
Quid aliis acciderit ne-
s ille nuncius necopinato
m sententiam, quod provi-
1*


KONINKLIJKE BIBLI
0883 880
0883 201



# ANTONII VAN GOUDOEVER

# SERMO,

## AD DISCIPULOS HABITUS,

DIE XVIII. M. SEPTEMBRIS

ANNO MDCCCXXXIX.


KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Habemus sane, optimi juvenes! quod Deo gratias agamus, vos certe salvos et nova, ut spero, alacritate ductos, post ferias, ad hanc Musarum sedem rediisse novumque vobis campum aperiri, in quo excurrere liceat, et ad scopum pervenire, ubi praemia proponuntur, quae, curriculo feliciter peracto, optimo cuique solent concedi. Habetis omnino, quod grato animo agnoscatis, duces et praeceptores vobis haud defuturos, qui vestris utilitatibus, commodis, saluti, magna virium contentione, prospiciant. Sed habetis etiam, quod lugeatis, unum eorum eumque optimum, praestantissimum, dilectissimum, desiderari, qui, his ipsis feriis, procul a patria, in Helvetia, diem supremum obiit. Quis enim mecum non lugeat, Phil. Guil. van Heusde, virum unum in paucis magnum nobisque amicissimum, in gravem calamitatem patriae, Academiae, amicorum, discipulorumque, e vita excessisse, quae tota Literis et humanitati consecrata erat? Quid aliis acciderit nescio, mihi vero cum tristis ille nuncius necopinato allatus esset, antiquorum sententiam, quod provi-

sum antea non sit, id ferire vehementius, multis eam partibus veram esse expertus sum. Adeo enim me conturbatum eo et afflictum esse sensi, ut vix mei compos essem, nec aliud quicquam, nisi ob tam cari capitis amissionem, dolori indulgere et vim lacrymarum profundere possem. Idemque expertus sum, verius Platonem statuisse, dolorem humanae naturae convenire, quam alios, qui eum exstirpandum vel in opinione positum esse in scholis docerent. Ut enim sensim paulatimque ad me redii, mihique spatium considerandi datum est, tantum abfuit, ut dolor minueretur, ut contra, quo magis de magnitudine jacturae cogitare liceret, eo majore aegritudine affectus sim: et diu dolorem lenire animique vulneri medicinam afferre frustra quaesiverim. Continenter Heusdii imago ante oculos versabatur. Audiebam eum in scholis, ex hoc ipso loco, docentem: videbam eum domi cum suis viventem, in circulis et amicorum sessiunculis hilarem atque urbanum. Cum eo ambulabam, sermones miscebam, disputabam. In Heusdio totus eram, ut coram adesse videretur. Hac phantasia mihi placebam et, quod quibusdam mirum videatur, tristitiae dolorisque sensus, qui totum adhuc animum occupaverat, aliis affectionibus, pietatis in primis et grati animi, locum concedere coepit iisque temperari passus est.

Ita dolebam, necdum dolere desino, Heusdium nobis esse ereptum, tantumque virum hac in

terra desiderari; sed reputabam etiam quae quantaque praestitisset, quid ei debeamus, quale exemplum nobis reliquerit. Haec cogitatio animum erexit, ut, mea quidem caussa, virum lugerem; sed idem Heusdium, post vitam tam egregie peractam, exstinctum, felicem atque beatum praedicarem.

Sed quid plura de me? Ad vos me converto, commilitones! qui mecum optimo illo usi estis magistro. Quid vos a me hac hora exspectetis, e vultibus oculisque vestris satis intelligo. De Heusdio, de praeceptore vestro, acerba vobis morte erepto, me loqui postulatis, et postulatis merito. Agite, faciam quod potero. Vos autem a me, ex dolore vix aliquantum erecto, hoc jam tempore, non poscitis, ut tanti viri formam atque imaginem, suis lineamentis coloribusque expletam, vobis oculis quasi conspiciendam exhibeam. Postea demum hoc rite fieri poterit, ubi quis, sedato animo, nec aliis rebus nimis occupatus, hoc munus pro dignitate defuncti susceperit (1). Quid igitur? Non ejus doctrinam, hac hora, celebrabo, nec vitam exponam; sed de Heusdio narrabo, quae vel ex ipso vel ex aliis cognovi, quae, per triginta septem annorum consuetudinem, vidi, observavi, admiratus sum.

Vere mihi Cicero pronuntiasse videtur, in pueris quasi virtutum scintillulas apparere, magnorumque virorum pueritiam in primis et adolescentiam attendendam esse, ut rite de iis judicetur. Ipse Heus-

dius huic contemplationi plurimum tribuebat, mihique saepe affirmavit, se hoc unice in Plutarcho admirari, quod, in magnorum virorum vitis describendis, pueritiae maxime et adolescentiae notandae operam haud exiguam dedisset.

De pueritia Heusdii pauca adhuc mihi innotuerunt. Sed pauca illa multorum instar sunt. Puer fuit modestus, discendi cupidus, probus piusque filius. Memini me cum ipso agere de vi atque momento maternae institutionis, in puerorum moribus informandis. Reputabamus, quot quantique viri omni aevo fuissent, qui matribus in primis acceptum referrent, virtutis illa semina in animo latentia, non fuisse suffocata, sed nutrita ad maturitatem pervenisse. Nil mirum, inquit, homo enim a teneris amoris studio ducitur: mater infantem gremio nutrit, puerulum fovet, ejus commodis inservit et amor ille, quo ipsa flagrat, egregie respondet studio illi, quo nos puerili aetate ducimur, ἔρως ἀντερῶτα τίκτει. Ita mutuus amor, cumque eo fiducia oritur, quae dici vix potest, quid in puerorum moribus effingendis efficere possit. Tum, manu me prehendens, ipse, inquit, quid matri meae debeam, lubens te coram profiteor. Multa de Deo, de rebus divinis, de pietate ex aliis audiveram, perceperam pauca. Praecepta illa me parum, ne dicam nihil, moverant. Cum vero mater mecum loqueretur de sublimi Dei natura ejusque

amore erga homines: de praestantia religionis christianae: de virtute et pietate; ea continuo me cepit, ab ejus ore pendebam, mihique ita persuadebat, ut non tantum crederem, quae diceret; sed materna illa institutio, per totam vitam, vim suam exserere perrexerit, ejusque, in hunc ipsum diem, gratus et pius recorder. Idem matrem, dum vixit, adeo coluit inque oculis gessit, ut, quae paucorum felicitas est, moribundam eam audiverit affirmantem: Tu mihi, Philippe, semper pius fuisti filius: tu innumerabilium mihi voluptatum, hac in vita, caussa exstitisti: quid vero sit dolere ob filium, per te, felicissima matrum, nunquam experta sum.

Pater Heusdii (2), spatio Academico feliciter decurso, mercaturae postea operam dedit; sed a literarum studiis adeo non alienus fuit, ut, quae ipse, per tempora, persequi non potuerat, in aliis excitare et promovere studeret. Idem procul erat ab eorum perversitate, qui divitiis conquirendis et cumulandis sibi unice placeant, statuentes quaerendam pecuniam primum esse, virtutem post numos. Talis Heusdii pater esse non potuit, qui contra, haud vulgares ingenii animique dotes in dilecto filio perspiciens, singulari ejus discendi ardore, cognoscendi amore, indagandi studio, unice delectabatur. Non eum igitur laevo suspensum loculos tabulamque lacerto ludi magistro tradidit; sed eum liberaliter instituendum ab optimis magistris curavit. Omnes

pueri docilitatem, modestiam, ingenium, progressus laudare. Pater filii laudibus, in tantilla aetate, gaudio compleri: filium non cogere, ut huic illive arti sive disciplinae generi praecipuam operam daret: exspectare contra et observare, quo ipsius adolescentis virtus atque natura duceret. Ita accidit, ut non per vitae institutum antiquas sibi literas tractandas sumeret; sed ipsius naturae quasi propensione a prima eas adolescentia coleret et amplecteretur (3). Uti vero prudentis patris esse habetur, generoso filio optionem deferre, ut ipse deligat, quam vitae conditionem sequi velit; ita negligentis esse videtur, filium sibi relinquere, nulla consilia cum eo inire, non ea praebere, quae pertineant ad viam cognoscendam, quam quis inire cupiat. Aliud quid, Romani patris instar, auctoritate abuti; aliud quid, eam adhibere, ut filius melius perspiciat, quid tandem illud sit, in quo votorum summam collocaverit.

Eo tempore, Erasmiano gymnasio praeërat Nodellius, vir non tantum Graeci Latinique sermonis peritissimus; sed idem Literarum Humaniorum vim atque naturam acute perspectam habens: Poëta unus in paucis elegantissimus, et antiquorum Philosophorum, Historicorum, Oratorum lectione non minus nutritus, quam Poëtis, quum Graecis, tum Latinis, quos in succum et sanguinem verterat. Initio Heusdius urbani gymnasii discipulus fuerat; sed ibi

nactus esse videtur praeceptores, qui haud perspicerent, in hoc discipulo aliquid latere et fere germinare, quod singulare esset. Eum certe, si non neglexisse, saltem non satis attendisse videntur. Alii, qui cum ipso comparari non poterant, laudem et laudis praemia interdum praeripiebant. Adolescens dolere, pater hoc aegre ferre. Sed, ecce! bono genio ductus pater Nodellium adit, filiumque in privatam cultissimi viri institutionem tradit. Quod alii non animadverterant, Nodellium fugere non poterat. Continuo ille adolescentulum ad se trahere, ejusque animum Poëtarum amore incendere: ei ostendere antiquorum scriptorum praestantiam: viam indicare, veram illam, qua eundum esset, ut ad scopum rite perveniri posset. Cum mutata institutione, ipse discipulus mutatus esse videbatur. Antiquorum lectione satiari non poterat. His jungebat recentiores: maxime tamen eum Poëtae tenebant, quorum doctum et elegantem interpretem in praeceptore nactus erat. Quae quidem Poëtarum lectio, quorum amore jam ardebat, quosque, ut ipse dicebat, devorabat (4), mature jam ei opportunitatem praebuisse videtur, ut Platonis sui instar, a Poësi ad Philosophiam accederet, et Platonem Philosophum intelligeret melius, quam multi, qui antea vel eum interpretati erant vel de ejus Philosophia disputaverant. Ne tamen existimetis, A. A. me huic Poëtarum lectioni tribuere omnia. Erat enim in Heusdio singularis quaedam ingenii

cum Platone similitudo atque cognatio, quae quidem tanta fuit, ut in omnibus ejus scriptis Platonis color splendeat, Platonis ratio dominetur; ipsumque ibi Platonem de Philosophia et nostris temporibus atque rebus disserentem audire videamur. Quid? quod Plato, sua aetate, Heusdium si discipulum nactus esset, dicam, quod sentio, non dubito, quin eum scholae Successorem Speusippo praetulisset.

Sed redeo unde degressus eram. Neque Nodellius Poëta elegantissimus, neque Heusdius Poëtarum amator ardens, in iis esse omnia censebat. Discipulus non tantum ad ingenii elegantiam et ad pulcri venustique sensum instituebatur; verum etiam ad accuratam doctrinam, ad multarum rerum haud vulgarem scientiam earumque sanum atque acutum judicium informandus erat. Grammatice et critice legebantur Historici, Oratores, Cicero in primis et quidam Platonis dialogi, Phaedrus, ni fallor, Symposium, Phaedo, Apologia. Grammatica, inquam, ratione legebantur, sed eâ, quam Nodellius, perspicacior scholasticis istis magistris, unice ingenio Heusdiano accommodatam esse viderat. Non in vocalis et syllabis haerebat, leges semper loquens sive *regulas* artis earumque varietates et exceptiones; sed, quod postea Wyttenbachius quoque persecutus est; adhibebat illa omnia continuo ad ipsa scripta veterum tum explicanda rite, tum si opus esset emendanda; » sic minutissimae (sunt ip-

» sius Heusdii verba) animadversiones grammaticae » instar videbantur gravissimarum. Nam pertinebant » non ad lites et controversias Grammaticorum de » levissimis rebus gravissimas, ut novimus et per» tinacissimas; sed valebant ad immortalia excel» lentissimorum ingeniorum monumenta illustranda » atque integritati restituenda, in quibus vel tenuis» simam labem quam aegerrime toleramus" (4).

Erunt fortasse, qui mirentur, vel qui culpent etiam, Nodellium, discipulum a critica factitanda, hac aetate, non retinuisse potius, quam incitasse; hi tamen cogitent, ingenium haud raro supplere aetatem, et vim animo insitam duci potius, quam reprimi posse. Quidquid est, Heusdius mecum aliquando communicavit, se Roterodami jam in Platonis lectione librariorum vitia quaedam animadvertisse, eorumque emendandorum fecisse periculum, et in *Specimine critico* quasdam conjecturas et emendationes reperiri illo tempore factas, quae postea, quum librum editurus esset, nec sibi displicerent et summi Wyttenbachii punctum ferrent. Lubenter in illius temporis memoriam redibat, quo, una cum Collotto Descurio, aliisve intimae admissionis discipulis Nodellio assidebat, vel per historiarum campum vaganti, vel de summis antiquitatis et recentioris aevi viris narranti, ut alumnorum animos ad virtutem, ad honesta, ad patriae amorem incitaret. Ejus verba non auribus, sed quasi ore excipiebat, quoties eum vel de

Homeri laudibus poëticis, vel de Virgilio, ejus aemulo felicissimo, vel de Platonis Philosophia ad studium virtutis excitandum uberrima, vel de Cicerone Romanorum Demosthene, oratoribus exemplo ad imitandum efficacissimo, audiret sermones miscentem, elegantes illos et eruditos; sed doctos etiam et ad discipulorum captum accommodatos.

Ita disciplina et studio praeculto tempus aderat, quo in Academiam mittendus esset. Pater eum misit Amstelodamum, in cujus Athenaeo tum florebant Wyttenbachius, Swindenus, Crasus, viri in sua quique disciplina celeberrimi. Secundum Wyttenbachium suspiciebat et colebat Swindenum, Crasum reverebatur et amabat etiam. Sed quo modo a Wyttenbachio Amstelodami exceptus, ejusque disciplina usus fuerit, omnino de statione Amstelodamensi, ipse tam diserte et eleganter, in *Epistola ad Creuzerum*, exposuit, ut quidquam a me addi nec debeat nec possit.

Nos igitur virum comtemplemur, ubi, spatio Academico Lugduni Batavorum decurso et itinere Parisiensi confecto, *specimen criticum in Platonem* edidit: quo tempore Plato non nisi a paucissimis legebatur, et in Germania, Francia, Britannia raros cultores, pauciores interpretes nactus erat. Quo quidem *Specimine* perlecto, satis patet, regiam eum viam esse secutum et procul ab eo fuisse, ut grammaticam, quod nonnulli perperam suspicati sunt,

parvi faceret. Immo vero diligentem verborum formarumque observationem, ita ad totam penitusque percipiendam Platonis orationem et fructuosam et necessariam esse, se expertum esse fatetur, ut qui hanc negligeret, temere eum de illa oratione judicare censeret. » Atqui, sic pergit (5), tantum abest, » ut aliquam cum humilitate conjunctionem habeat » haec (grammatica) legendi ratio, ut eam spernen» tes justum capere lectionis fructum nequeamus." Sed quid verbis opus est, ubi rerum testimonia adsunt? Quicunque Platonem ita emendare et illustrare potuit, ut fecit Heusdius noster, is, non dicam, Graecae linguae peritissimus esse debuit; sed ejus vim, proprietatem, copiam, gravitatem, elegantiam, interiorem omnino indolem ac naturam perceptam habuerit, necesse est. Quis enim et Platone legendo ipsius linguam accuratius percepit, et lingua percipienda tantam viri eloquentiam mente animoque totam magis complexus est?

Qui vero antiquum scriptorem integritati reddere germanamque ejus lectionem repraesentare cupit, is praeterea codices manu scriptos, antiquos interpretes et editiones adire debet: a quo quidem Critici munere, haud jucundo et satis difficili, adeo non alienus fuit Heusdius ille, ut juvenili etiam aetate, Platonis opus *de Legibus*, cum codice bibliothecae Leidensis Vossiano contulerit, quam collationem cum duabus item aliis, *Specimini* adjecit, alterâ, qua Platonis

Minos cum eodem codice, alterâ eâque Ruhnkeniana, qua ejusdem Sophista cum codice Parisiensi comparatur. Antiquos autem interpretes et scriptores, qui, vel ad veram Platonis scripturam eruendam, vel ad eum intelligendum pertinerent, accurate legerat omnes. Recentiorum commentarios, interpretationes, editiones diligenter comparaverat, cujus indefessi laboris, procul dubio, in ejus scriniis, documenta et fructus reperientur, quorum partim ipse vidi et admiratus sum.

Quod omnibus juvenibus, qui in Literarum studio vitae tabernaculum ponere velint, commendandum est, ut mature sibi quendam scriptorem deligant, ad quem reliquos referant: in cujus naturam et indolem se prorsus insinuent: quem semper cogitent: in quo, ut ita dicam, habitent: verbo, quem suum faciant, perceptumque penitus et pertractatum habeant; hoc Heusdius, ingenii sui bonitate ductus, non admonitus, ipse continuo vidit, a Wyttenbachio autem confirmatus, a primo studiorum tempore firmiter tenuit et ad supremum usque vitae tempus persecutus est. Prudentissimum illud consilium ante eum alii quoque vel suâ sponte inierunt, vel admoniti secuti sunt; sed hoc in Heusdio singulare fuit, eum juvenili jam aetate, Platonem sibi delegisse, in quo virium periculum faceret, non temere, non casu, sed eas ob causas, quas diserte in *Speciminis* proöemio exposuit. Hoc omnino in Heusdio admirandum, eum continuo,

rei ambitum, rationem, vim etiam perspexisse et, virili aetate, id ipsum peregisse, quod, juvenili, peragendum aliis commendaverat; sic enim in *Speciminis* proöemio: »illud, inquit, monendum, »hanc tantam rem, si a quopiam homine, ab eo »posse uno perfici, qui usus ea, quam commen- »damus, legendi ratione, in Platonis et tempora et »ingenium quasi totum se transtulerit atque insi- »nuaverit: eundem vero illum, si cum summa di- »vinare probabilitate liceat, e divini ingenii cogi- »tationibus, nisi placita decerpturum, quae tan- »quam maturos fructus in communem continuo »usum conferat, certe placitorum initia et quasi »semina suscepturum, quae ad nostrorum tempo- »rum veluti temperiem exculta, uberrimos ali- »quando fructus generi humano largiantur.” Cum hisce, quae anno MDCCCIII scripserat, si ejus *Initia philosophiae Platonicae*, quae anno MDCCCXXVII, et *Scholam Socraticam*, quam septem annis post, edidit, comparaveritis, videbitis, ni fallor, verissima esse, quae affirmaveram, et intelligetis etiam, quid utroque opere voluerit, spectaverit. Id nimirum, quod in tota disciplina et institutione constanter secutus est, ut amicos, discipulos, lectores, et ab ingenio et a moribus excoleret, emendaret, mentemque ad aeterna veri in mundo νοητῷ exempla, in primis ad id, quod *bonum* est, Platonica ratione, suis autem temporibus accommodata, converteret.

Ad tempus commemorandum accedo, quo vix sex et viginti annos natus, hac in Academia publici doctoris munus auspicatus est, oratione illa habita, *de antiqua eloquentia cum recentiore comparata*, ad quam laudandam elegantissimi Nodellii versus exstant, ipsa antiquitate digni:

Eloquium Antiquis dederat natura disertis,
At ars Recentioribus;
Te, quem facundum natura atque arte videmus,
Priscum putemus, an novum?

Eo tempore Saxius et Segarius aetate confecti vix muneri amplius pares erant, quod antea summo cum vigore summaque alacritate obierant. Scholae historicae jacebant neglectae, quae antea auditorum numero frequentatae fuerant. Antiquitatis Romanae et Literarum Latinarum scholis vix ulli intererant: plures quidem Graecis nomen dabant, operam navabant paucissimi. Antiquarum Literarum studia una cum Professorum aetate consenuisse videbantur. Vigebant contra Philosophiae et recentiorum literarum studia, quarum amore generosioris indolis juvenes imbuebantur Hennertii in primis et Rhoerii praeceptis, adhortationibus, colloquiis, exemplo. Rhoerius Iurisprudentiae tum quidem, hac in Academia, arcem tenebat; sed idem antea in Harderovicena Literas humaniores et Historiam docuerat. Quavis ille opportunitate discipulis Hi-

storiae studium commendabat, de ejusque ubertate ita disputabat, ut quasi per transennam strictim adspiceremus campum segete uberem, et amoenitate nos allicientem, in quem tamen, ut bona via ingrederemur, duce et auctore opus erat. His bonis ominibus Heusdius venit Trajectum, Wyttenbachii exemplo, Graecarum Latinarumque literarum peritiam cum Philosophiae et historiarum studio conjungens: vir in literis recentioribus minime hospes et a Platone suo informatus, qui aliis viam praeiret. Accedebat juvenilis aetas, qua se discipulis commendabat, quippe qui non magistrum magis ducemque quam sodalem itinerisque comitem, sibi reperisse viderentur. Magnus continuo Auditorum ad novi Professoris scholas concursus, quibus, Segario vita functo et Saxio rude donato, mox omnem Literarum ambitum, quâ late patet, complexus est. Omnes hominis modestiam amare, affabilitate delectari, et disciplinae novitatem, perspicuitatem, simplicitatem laudare. Mox jam provectiores intelligere; ingenium quoddam philosophum in novo praeceptore inesse, quo plus aliis videret, cujus ardore alios incenderet, cujus acumine auditores concuteret, cujus elegantia omnes alliceret, omnibusque placeret. Scriptores Graecos atque Latinos ita interpretabatur, ut discipuli non tantum ad utriusque linguae cognitionem proficerent; verum etiam in ipsius antiquitatis et scriptorum rationem se insinuarent:

Prae reliquis autem ei Platonis scripta in deliciis erant. Ea igitur continuo cum provectioribus, horis vespertinis, legebat, commentabatur, explicabat, eosque eodem hujus Philosophi amore imbuebat, quo ipse ardebat. Quae quidem res eum in modum Heusdio feliciter cessit, ut brevi scholam Platonicam conderet, quae, ad hunc usque diem, post septem et triginta annorum spatium, laete floret; et nemo facile ex Heusdii disciplina exierit, qui non Platonis ratione, si minus imbutus, certe tinctus sit et praeparatus, qui ipse ulterius progredi queat.

Historiam docendi novam plerisque viam iniit. Wyttenbachium historiam in scholis docentem non audiverat, historiarum compendia, quae tum omnium manibus terebantur, eum non admodum adverterant. Ex ipsis antiquis Historicis profecerat, qui majorum res gestas vividis coloribus celebrarent, populos hominesque agentes proponerent, lectores non tantum ad contemplandum, sed agendum etiam incitarent. Philosophiam cum Historia esse conjungendam, eamque non nuda rerum gestarum enumeratione, non chronologicis et geographicis disputationibus unice absolvi posse, mature Voltairii et Montesquivii scripta ei ostenderant: Robertsonus, Gibbonus, mox Heerenus etiam exemplo suo docuerant; quod ipse, decem abhinc mensibus, commentatione illa (6) eleganter professus est, qua omnibus desiderium movit, *Scholam Polybianam* illam legendi,

quam se fere absolvisse, sed post obitum demum edendam esse ajebat, parum eo tempore cogitans, hoc ipsum tempus tam brevi affuturum, et fata sibi praerepturа esse consilii mutandi facultatem, de quo postea cogitare coeperat. Utinam doctissimi patris pii filii, eam paterni laboris partem eo usque absolutam reperiant, ut *Schola Polybiana* edenda, novum Heusdiani ingenii eruditionisque monumentum ponatur!

Sed in viam redeo. Antiquam illam historiam docendi viam, quae adhuc in scholis academicis trita fuerat, Heusdius sequi non poterat. Aliam eamque meliorem ineundam esse sibi proposuerat. Itaque Rhoerium consulebat, ipse circumspiciebat, anquirebat, meditabatur. Haerebat subinde. Dubitabat, modo hoc, modo aliud probans. Interim tentare, periclitari; sensim paulatimque plus dispicere, nondum tamen sibi constare. Quodsi primas ejus scholas historicas, quibus ego interfui, cum iis comparamus, quas postea, in primis post annum MDCCCXIII, habuit, animadvertere licet, quam scrupulose et prudenter, sed quam solerter etiam atque constanter progressus sit, et tandem scopum attigerit. A primo jam suus erat et historiae studiosis optimus dux atque magister. Postea demum summus exstitit et scholae historicae auctor, quae merito ab omnibus celebratur, suasque laudes habebit, quamdiu Historiae cum Philosophia conjunctioni suus honos decusque constabunt. Historia etiam ab Heusdio non

aliarum disciplinarum tanquam ancillula et pedissequa proponebatur, sed tanquam peculiaris disciplina, suis terminis, partibus, juribus definita: suis honoribus, laudibus, natura conspicua. Res gestas populorumque fata, initia, progressus exponebat; sed simul rerum caussae, antecessiones, opportunitates effectusque investigabantur. Fidem Historicorum, traditionum monimentorumque censebat. Fontes inquirebat, unde singula hausta et petita essent, id inprimis spectans, ut discipuli ipsas gentes, tam antiquas quam recentiores, cognoscerent: earum indolem, mores, leges, literas, philosophiam, humanitatisque progressus contemplarentur, et vinculum illud seriemque animadverterent, qua et gentes inter se et antiqua tempora cum recentioribus conjuncta sint. Ejus schola historica hoc praeterea proprium habuit, ut virtutis exempla ad imitandum, vitiorum contra ad cavendum ita ob oculos proponerentur, ut omnibus palam fieret, sub tali duce, Historiam merito magistram vitae et lucem veritatis celebrandam esse. Sed quid ego formam ejus disciplinae adumbrare conor? Ipsi Heusdium audivistis docentem, et mecum admirati estis peculiarem illam propriamque docendi rationem, qua humanitatis plenus omnia exhilarare novaque specie commendare videretur. Meministis eum de rebus gravissimis etiam, aeque ac de vulgaribus, diserte et eleganter disputare, colloquia inire, quaestiones movere, lucem

obscuris affundere, nova, quae animum ferirent, ostendere, suo semper modo verum investigare deque aliis acute, sed humaniter judicare. Et omnino, si quis alius, Heusdius mira quadam arte valebat, qua discipulos alliceret, caperet, teneret acrique discendi ardore incenderet. Modo virtutis nobis sacerdos esse videbatur; modo antiquitatis vates divinum illud *γνῶθι σεαυτὸν* consulentibus commendans: omnia ex amore repetens et ad amorem rursus referens. Ejus oratio, melle dulcior, fluebat pura, limpida, numerosa, luminibus distincta, propria pronuntiatione efficax: et quod in Wyttenbachio ipse laudavit (7), non minus vere, de Heusdio dici potest: »ejus oratio fluebat »quasi sponte sua, ut quid esset dicturus vel qua »ratione haud cogitare videretur: et tamen nil desi»derabatur ad verborum proprietatem, elegantiam, »disputationis ordinem." Verbo, omnes, quorum animi non ex argilla lutove compositi essent, in praeceptore germanum Socratis Platonisque discipulum venerati sunt, inde a primo tempore, quo ad nos venit, usque ad diem illum, quo ad beatiores sedes transiit.

De Heusdio loquenti facilius est sermonis initium, quam finem reperire. Nonnulla tantum adhuc delibavi, plurima in praesens omittere debeo. Unum tamen praetermittere nolo, et vero officii pietas prohibet. Vere enim Plutarchus (8) monuit, *τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν οὐδὲν οὕτω θαυμάσιον τοῖς ἐκτὸς, ὡς ὁ καθ' ἡμέραν βίος τοῖς συνοῦσιν.* Heusdii domus, non mi-

nus quam auditorium, schola eruditionis, atrium virtutis, humanitatis templum erat. Ipse, non minus moribus, urbanitate, pulchri venustique sensu, quam doctrina, judicii acumine, laboris constantia (9) admirabilis. Nemo eo modestior, alios facile ferre, iis se non praeponere, non suam sententiam aliis obtrudere, nec sibi sumere, ut semper ea valere deberet. A litibus et altercationibus quam maxime alienus, omnes homines amore prosequebatur, seque neminem in vita odisse ipse candide professus est; hominum vitia vituperanda, eorum perversitates culpandas, non vero ipsos ejiciendos esse ajebat (10). Si Theologiae professioni me addixissem, personatus ille senex in epistolis, concionabundus, inquit, semper divinum illud in ore haberem, *ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σοῦ ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σοῦ καὶ τὸν πλησίον σοῦ ὡς σεαυτόν.* Et vero quis magis Heusdio Deum pio et sincero animo coluit ad ejusque perfectionem se componere nisus est? In rebus laetis non se efferens, in tristibus non prostratus, morum aequabilitatem contraxerat, Philosopho Christiano dignissimam.

Per triginta et quod excurrit annos, ejus mihi domus patuit, in eaque quotidie versatus sum, semper admiratus concordiam illam et mutuum amorem in eâ vigentem. Ibi summa reverentia erat cum concordia et diligentia mista; flagrabatque mulier optima diligentiae aemulatione, studens viri

commodis inservire. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus, aut foemina proprium esse sui juris diceret; sed in commune conspirabatur ab utroque (11). Patrem vero si quaeritis? filiis vitae felicitatem exoptabat non vulgarem illam, quae opibus, honoribus, fama commendatur; illam iis apprecabatur, quam optimus quisque maxime expetit, quae moribus, quae virtute, quae pietate nititur. Haec vitae felicitas vera, qualis sit, quemque habeat fructum, ut ipse ait (12), pauci norunt. Sed qualis pater suis liberis fuerit, qualis patriae civis, quomodo adolescentes ex ejus sententia instituendi, quî tandem boni cives informandi sint, ipse tam diserte exposuit in divinis illis epistolis, earumque epilogo, ut nihil a me, hac hora, addi opus sit. Quicunque Heusdium novit vel cognoscere cupit, epistolas illas legat, quarum lectio, vel decies repetita, placebit: in iis quippe sui quasi imaginem pinxit: in iis videmus eum agentem, audimus loquentem, praecipientem, monentem de parentum liberorumque amore, de morum emendatione, de vi amoris in institutione, de patriae caritate civiumque officio, de amicitiae vinculo, ad virtutem efficacissimo: de pulchri, boni verique conjunctione, ut, quod ad materiam, in optimis Paedagogicorum scriptis, non melius, non uberius his de rebus disputatum sit: quod ad formam, nihil iis suavius, nihil urbanius dici cogitarive possit.

Ad amicitiam denique colendam Heusdius natus erat. Quos semel amore complexus erat, eos tanquam suos constanter et sine intermissione diligebat, ut hodieque plures amici viri obitum lugeant, a prima juventute cum eo conjuncti. Quos semel probaverat, iis amicus erat fidus, candidus, apertus, eorumque utilitatibus, tanquam suis, prospiciebat. Verbo, qualis amicus fuerit, et ipse novi et multi vestrum mecum experti sunt. Quod tamen, hac opportunitate, praecipue volo, adolescentum in primis discipulorumque amore delectabatur: eos ad se vocare, ad familiares sermones et sessiones illas Platonicas, Demostheneas, Polybianas admittere: admissos autem non tantum ad ingenii cultum, verum etiam ad morum perfectionem adducere, in quo constans vitae suae consilium se posuisse ipse professus est. Eorum progressus laudare, ad altiora incitare, eorum commoda cordi habere, iisque vivere totus. Quo vero majorem vim ea consuetudo apud juvenes haberet, in juvenum consessu, virili et matura etiam aetate, juvenis semper esse videbatur. Juventutis studia, animi candor, ingenii alacritas, cognoscendi ardor in sexagenario adhuc ἤκμασαν, prouti in juvene viguerant. Quid mirum igitur, eum consecutum esse, quod paucis tantum contingere solet, germanos ejus discipulos, per septem et triginta annorum spatium, non tantum praeceptorem observasse, coluisse, veneratos esse, sed dile-

xisse etiam, amasse et pietate prosecutos esse, qua boni liberi patrem, generosi juvenes amicum seniorem prosequi soleant? In qua discipulorum conjunctione, praecipuam quandam suae felicitatis partem ponere solebat et revera consecutus est. Conspexi eum, tribus abhinc annis, quo tempore altera Academiae Saecularia celebrabantur, cinctum quotidie eum vidi discipulorum corona, quae ex nullis non patriae regionibus huc affluxerat. Aderant juvenes, aderant maturi aetate et ingenio viri: aderant, quibus fortuna faverat, aderant item, qui eam minus benignam erant experti. Sed cuncti discipuli: omnes illi, optimum praeceptorem certatim adire, δεξιώσασθαι, suum vocare, amorem, pietatem, gratum animum erga eum prae se ferre. Ille omnibus idem, pari omnes benevolentia amplectebatur, quam animi voluptatem perciperet voce, oculis, gestu, lacrymis etiam significans palamque professus: » hi mihi dies vitae instar sunt. In vestro amore jam mihi mortalium beatissimus esse videor."

O vitam felicem atque beatam! qua tu, optime Heusdi, usus es. Gloria tui nominis ad exteros etiam pervenerat, ad posteritatem intaminata perventura. Omnes raras ingenii facultates et mirum omnium quasi quendam consensum doctrinarumque concentum admirati sunt, quo omnes artes ingenuas et humanas uno quodam societatis

vinculo continebas. Exteri et cives (13) amplissimis te honoribus certatim auxerunt. Cognati, amici, discipuli animi etiam dotes atque virtutes laudibus efferunt. Tu non frustra vixisti, ingens discipulorum numerus e tua disciplina prodiit, qui omnia se tibi debere grato animo profitentur. Tu, si quis alius, in amore uxoris (14), liberorum discipulorumque vitae solatium perennemque voluptatis fontem reperisti. Tu sine inimicis vitam tranquille, ad aliorum utilitatem transegisti. Tu denique sine vitiis senectutis hac e terra abiisti, integrisque laudibus beatus, laetam nobis vividamque tui memoriam reliquisti. Talem vitam merito beatam praedicantibus, neque meliorem in coelestibus regionibus tibi invidentibus, gratum animum significare liceat, nos te, hac in vita, magistrum, ducem, amicum nactos esse. Gloriamur nos tuorum amicorum gregi fuisse adscriptos. Tui memoria nulla umquam dies delebit. Te, post mortem etiam, animis pectoribusque fovebimus. Te omnibus viribus imitari studebimus, non solum verae doctrinae elegantisque eruditionis, verum humanitatis etiam, morum, pietatis exemplum unicum.

Utinam Deus Optimus Maximus haec vota rata faciat! Sic Heusdius nobis non omnino mortuus erit: sic ille in discipulis reviviscat!

---

## ANNOTATIO.

(1) Gaudeo omnino, me cum lectoribus communicare posse, Jacobum, Adolphum, Carolum Rovers, virum clarissimum, discipulum Heusdio dilectissimum, provinciam in se suscepisse, optimi Praeceptoris ejusdemque proximi cognati memoriam celebrandi.

(2) Heusdius patrem habuit Cornelium van Heusde, virum consultissimum, qui usque ad annum MDCCLXXXXV, magistratui etiam urbano apud Roterodamenses adscriptus fuit: matrem autem Catharinam, Josinam Wybo, Zelandam.

(3) Vid. Dedicatio Speciminis Critici, p. VII.

(4) Vid. Epistola ad Creuzerum, p. 6.

(5) Vid. Speciminis proöemium, p. 10 et 12.

(6) Hanc Commentationem recitavit in privato consessu tertiae classis Instituti Regii Belgici, eamque communicavit etiam cum Musaei, quod dicitur, Trajectini sociis, in consessu vespertino d. XVI. m. Octobris anni MDCCCXXXVIII.

(7) Vid. Epist. ad Creuzerum, p. 13.

(8) In vita Periclis c. 7.

(9) Librorum a Heusdio editorum index hic est.

*Specimen Criticum in Platonem. Accedit Wyttenbachii epistola rell.*, Lugd. Batav. 1803.

*Oratio de antiqua Eloquentia cum recentiore comparata*, Trajecti 1805.

*Diatribe in Civitates antiquas in Commentariis Latinis 3<sup></sup>iae Classis Instituti Regii*, Volumine II.

*Oratio de Pulcri amore*, Trajecti 1819.

*C. W. de Rhoer gekenschetst, bijzonder als Geschiedkundige*, Utrecht 1822.

*Ter nagedachtenis van C. W. de Rhoer en W. H. de Beaufort*, Utrecht 1830.

*Initia Philosophiae Platonicae*, Trajecti 1827-1836, III Voll. Partes 5.

*Brieven over den aard en de strekking van hooger onderwijs*, Utrecht 1829 et 1835.

*Een woord uit Zwitserland aan mijne jonge vrienden en leerlingen*, Utrecht 1829.

*Ad bonarum artium in Academia Rheno-Trajectina studiosos protrepticus*, Trajecti 1830.

*Aanspraken aan de vrijwillige Jagers, Studenten der Utrechtsche Hooge-School*, Utrecht 1831.

*Socratische School of Wijsgeerte voor de Negentiende Eeuw*, III Voll., Utrecht 1834-1837. Cujus operis Pars IV typis jam mandata est.

*Praefatio ad Bibliothecae Academicae, quae Trajecti ad Rhenum est, Catalogum.*

*Oratio de naturali artium et doctrinarum conjunctione, alteris celebrandis Academiae Rheno-Trajectinae saecularibus*, Trajecti 1836.

*Brieven over het beoefenen der Wijsgeerte, inzonderheid in ons Vaderland en in onze tijden*, Utrecht 1837.

*Characterismi principum Philosophorum veterum, Socratis, Platonis, Aristotelis*, Amstelodami 1839.

(10) Brieven over den aard en de strekking van hooger onderwijs, p. 32, primae editionis.

(11) V. Columella in praefatione l. XII. de Re Rustica.

(12) In promotionis formula, qua filium, Joannem, Adolphum, Carolum, Phil. Theor. Magistrum et Literarum Humaniorum Doctorem more Majorum creavit.

(13) Heusdius, ut alia praeteream, his Societatibus Literariis socius adscriptus fuit.

Societati Trajectinae a°. 1804 eodemque anno Societati Lugduno Batavae. Societati Zelandiae a°. 1806. Societati Harlemensi a°. 1808. Instituto regio Belgico a°. 1808. Societati Latinae Jenensi a°. 1811. Societati regiae Scientiarum Acad. Borussicae a°. 1812. Societati Regiae Bruxellensi a°. 1816. Societati regiae Scientiarum Göttingensi a°. 1826. Societati historico-Theologicae Lipsiensi a°. 1832. Societati Regiae Hafniensi a°. 1834. Instituto regio Francico a°. 1837. Societati archaeologicae Atheniensi a°. 1837. Societati Thuringo-Saxonicae a°. 1839. Augustissimus autem Neerlandiae Rex eum ordinis Leonis Belgici equitem creaverat.

(14) Uxorem duxit Charlottam, Mariam, Annam Pompeyra, e qua suscepit tres filios, totidemque filias, quarum natu maxima, vix duos annos nata, diem supremum obiit.



